

Beiheft

S

219

1296 Juni 5.

29 [34]

Das Kloster Borlo verkauft einen Zehnten.

In nomine Domini, amen. Nos . . . prior totusque conventus fratrum ordinis beati Wilhelmi in Borlo universis ac singulis presentia visuris et auditoris notum esse volumus et presentibus publice protestamur, quod Ludolfo dicto de Cippo, civi in Vredene, Gundradi uxori sue ceterisque suis legitimis heredibus vendidimus decimam curtis Lentferdinc site in parrochia Vredene cum omni integritate iure hereditario possidendam sub annuo censu, videlicet unius denarii Monasteriensis, quem idem L. dabit seu sui heredes quolibet anno nobis in dedicacione nostra, et nos prestabimus eidem seu suis heredibus plenam warandiam eiusdem decime pre omnibus ad iusticiam volentibus declinare seu venire. Acta sunt hec istis presentibus, videntibus et audientibus, videlicet Jacobo capellano domine abbatisse Freth[enensis], Thidemanno scolastico ibidem, Rotgero Slinewater, Bernardo de Erle, Gerharo Kobibinc (!), Bernardo de Borlo et filio suo Johanne Segebodone, Everharo Temminc, Johanne Sculdere ac aliis quam plurimis fidedignis. Ut autem hec premissa rata et inconversa permaneant, sigillum nostrum cum sigillo opidi Frethenensis duximus apponendum presentibus et dedimus Ludolfo predicto et suis heredibus ad cautelam. Actum et datum per manum Jacobi notarii prefati anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> nonogesimo (!) VI<sup>o</sup> in die beati Bonifacii episcopi.

Orig. 2 Siegel ab; Lade 225, 1.